



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

& liberatione
Archiepiscopi
Salernitani.

bus non solum septies, sed & septuagies septies indulgeret, audivit, & majus gaudium esse noverimus angelis Dei super conversione peccatoris unius, quam supra nonaginta novem justos, qui non indigent poenitentia, Evangelio protestante, eos qui à se anathematis jugum excutere cupiunt, ut ad ecclesiasticam redeant unitatem, ex pastoralis officij, ad quod vocati sumus, debito recipere benignè tenemur, & receptos misericordiae gremio confovere. Intelleximus siquidem tam per te frater Episcopo, quam per alios, quorum relationibus fidem non modicam adhibemus, quod nobilis vir Philippus Dux Sueviae, qui propter invasionem ac detentionem patrimonij beati Petri & nostri excommunicationis fuerat vinculo innodatus, Ecclesiae reconciliari desiderat & restitui ad ecclesiastica sacramenta, ac super his, pro quibus notatus fuerat, satisfactionem omnimodam exhibere. Licet autem superioris sententiam minor relaxare non possit, & propter hoc Dux ipse ad sedem esset apostolicam destinandus, ut ab ea quae ipsum vinculis excommunicationis involvit absolutionis beneficium obtineret, sperantes tamen quod per ipsius studium venerabilis frater noster Salernitan. Archiepiscopus de longava detentione ergastulo liberetur, laborem itineris ipsi sub ea conditione duximus remittendum, si nostram super hoc, sicut bonae memoriae Celestino Papae praedecessori nostro per te frater Episcopo obtulit, impleverit voluntatem. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eodem Archiepiscopo libertati pristinae restituto, & recepto à Duce juxta formam Ecclesiae juramento quod super omnibus, pro quibus ab Ecclesiae fuit communione amotus, mandatis apostolicis, omni dolo & excusatione postpositis, debeat obedire, munus absolutionis ipsi auctoritate freti apostolica impendatis. Quod si forsitan eundem Archiepiscopum vel non potuerit vel noluerit absolvere, seu etiam forte distulerit, ad Ecclesiam Romanam accedat, à nobis juxta Ecclesiae consuetudinem absolvendus.

E I S D E M.

Episc. 26.
Pro liberatione
nobilitatis mul-

Inter cetera quae Dominus in nobis mirabiliter & misericorditer opera-

tur, magnae reputandum est miserationis indicium, cum eis poenam accelerat temporalem, quibus ultio debebatur aeterna, sicut in regno Siciliae diebus nostris intelligimus accidisse. Cum enim Siciliae populus & ceteri de eodem regno effeminati, ocio & pace nimia dissoluti, de suis divitiis gloriantes, sese in voluptatibus corporis lascivius exercerent, ascendit in altum fœtor eorum, & traditi sunt ob multitudinem peccatorum suorum in manibus persecutorum suorum in manibus persecutorum suorum. Usque adeo autem in eos, quod dolentes dicimus, furor exarsit hostilis, ut quidam eorum turpi morte damnati, in tribulatione cordis & corporis animas exhalarent, quidam membrorum mutilatione deformes fierent abjectio plebis, & ludibrium populorum; majores verò ipsorum compedibus, & nobiles manibus ferreis alligati, captivi & exules in Teutonia macerentur; reliquis hereditates suas in extraneis transferri videntibus, & domos suas subijci alienis. Verum ne compassionis nostrae solatium, qui patientibus ex suscepta administrationis debito compati volumus & tenemur, penitus subtrahatur, quibus ipse Dominus jam videtur ex parte placatus, venerabilibus fratribus nostris universis Archiepiscopis, & dilectis filiis Nobilibus viris Marchionibus, Ducibus, Baronibus, & aliis Alemanniae principibus dedimus in mandatis ut dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem Sibiliam, filium ac filias ejus, & ceteros de regno Siciliae, qui in Teutonia detinentur, à detentionis suae vinculis absolutos, ad nos liberos, excusatione & dilatione cessante, remittant. Inde est quod discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus si mandatum nostrum forte non fuerit adimpletum, vos in detentores eorum excommunicationis sententiam proferatis, & terras eorum, immo totam dioecesim, in qua nobiles ipsi tenentur, vel ad quam fuerint forte translati, interdicto subdatis; neutram relaxaturi sententiam, donec ipsi libertati fuerint pristinae restituti. Dilectis etiam filiis Capitulo Magunt. per apostolica scripta praecipiendo mandamus, ut sententiam, quam vos propter hoc contrigerit promulgare, ratam habeant, & faciant inviolabiliter observari.

ris Sibilie, filij
& filiarum ejus,
& aliorum captivorum regni
Siciliae detentorum in Teutonia.

B iij